Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

omnem carnalis concupiscentie feruorem prorsus abi-
ciunt. notariam quoque stulticiam execrantes. ad ea
que sursum sunt sapienda se extendunt. infecun-
ditatem quam habebant in seculo dereliquunt. et bo-
narum sobolem uirtutum de se procreare die noctuque
contendunt. Fugieruntque ait tantum animas suas
cupientes saluare. Hec salubris fuga quam electi ineunt.
nichil aliud est. nisi quod pro eo ut perpetuam animarum
suarum salutem consequantur. cuncta que in mundo sunt
simul et carnis curam postponunt. Non ergo dicimus.
quod ita carnis curam postponant. ut ea que corpora-
lis usus expostulat non requirant. sed sic eos carnis
curam postponere asserimus. quia corporis prouident ne-
cessitati non secundum quod exquirit carnalis concu-
piscentia. sed secundum quod exposcit indigentia. quem-
admodum et sacra scriptura hortatur ubi ait. Curam
carnis ne feceritis in concupiscentiis. Descripta
mysteriali dignitate sancte ecclesie. quam per gratiam
spiritus sancti adipisci promeruit. mox regreditur ad com-
mendandam conuersionem iudeorum. de quibus et prius
sermo fuit. Igitur ait. cum uenissent leprosi
illi ad principium castrorum. ingressi unum tabernacu-
lum. tulerunt inde argentum et aurum et uestes.
Leprosi isti ordines sunt super memorati. qui modo
propter obstinatiam perfidie sue. a consortio catho-
lice ecclesie sunt exclusi. Hi nimirum cum uenient
ad principium castrorum. per quod intelligi ualet dig-
nitas fidei. eo quod sit initium noticie dei. come-
dunt et bibunt. quia sacra scriptura tunc eis quo-
dammodo cibus fit et potus. Solet enim cibus
mandi ut glutiatur. potus autem non mandendo
glutitur. et ideo per cibum. illud sacre scripture elo-
quium figuratur. quod obscurum est et ad intelligen-
dum difficile. potus autem est eadem scriptura in locis
apertioribus. Ex omnibus ergo siue paruis siue mag-
nis que in sacro eloquio inuenerint. uiscera
anime replent. summa deuotione mentes eorum
pabulum ueritatis accipiunt. et sic alimento fidei se
satiantes uacui amplius non remanebunt. Unum
ergo tabernaculum ingrediuntur. mysterium scilicet ueteris
testamenti perscrutantur. et inde tollunt argen-
tum. per quod pura diuinorum intelligentia elo-
quiorum exprimitur. iuxta quod in psalmo legitur.
Eloquia domini eloquia casta. argentum igne ex-
aminatum. Ingressi namque id est tabernaculum
inde etiam accipiunt aurum per quod intelligimus
caritatem dei. uestem quoque id est … hi
preciosa ornamenta uirtutum. Et abierunt inquit
et absconderunt. Abeunt per diuini amoris
feruorem. ibunt de uirtute in uirtutem. et que
in ueteri testamento intellecta sunt absconderunt id est
ea in cordibus suis quasi in libro scribunt. Et
rursum reuersi sunt ad aliud tabernacu-
lum. et inde similiter auferentes absconderunt.
Aliud tabernaculum nouum est testamentum. quod
concordat ueteri testamento. Conducti ueteris
testamenti peruenient leprosi isti. ad intelligentiam
noui testamenti. Perspiciunt namque tunc claro
intuitu intelligentie. quod lex eorum umbra fu-
it ueritatis euangelice. In hoc quoque tabernaculo.
nouo scilicet testamento. quecumque ad salutem anime
sue pertinentia inueniunt. et hec tota mentis
auiditate auferunt sibi et abscondunt.
Dixeruntque ad inuicem. Non recte facimus.
Post acceptam ueteris et noue legis intelligen-
tiam. hii qui primo inter eos illuminati fuerint.
huiusmodi ad inuicem uerba conferent. Non recte id est
infideliter agimus. si ea que per spiritum sanctum et per
predicationem et merita sue sancte ecclesie deus reue-
lauit. apud nos abscondimus. et socios nostros
salutis et beatitudinis nostre participes non facimus.
Hec inquiunt dies boni nuntii est.
Hec nimirum uerba sunt. que tunc pleni scientia.
et gaudio spiritus sancti. deuota congratulatione pro-
ferunt. Hec inquiunt dies desiderabilis. redun-
dans omni exultatione et gaudio. dies spe-
ciali laudum extollenda preconio. in qua im-
pleri debuit. quod longe ante in scriptura ueri-
tatis prenuntiatum fuit. Si fuerit inquit nume-
rus filiorum israel uelut harena maris. reliquie